

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Thomas Lindemann

Programma Quo Ad Solemnam Nativitatis & incarnationis Salvatoris nostri Jesu Christi memoriam. Devote & pie recolendam Cives Academicci monentur

Rostochi[i]: Pedanus, 1631

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn734602073>

Druck Freier  Zugang



R U. Progr. 1631

1) Peter Wasmundt

2) " "

3) Thomas Lindemann



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/
rosdok/ppn734602073/phys_0002](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn734602073/phys_0002)

DFG

PROGRAMMA
QUO AD
SOLEMNEM
NATIVITATIS
& incarnationis Salvatoris no-
stri JESU CHRISTI me-
moriam.

*Devotè & piè recolendam Cives Acad-
emicimontentur*

P. P.

RECTOR E
THOMA LINDEMANNO
J. U. D. & P. P.



ROSTOCHI

*Typis JOACHIMI PEDANI Acad. Typ.
ANNO M. DC. XXXI.*



Otent familiares Epicuri,
qui in voluptate corporis supremum hominis ponebat bonum;
divinam a: illam, qua in Redemptorem suum mens defixa, in
hac vitâ voluptatem percipit futuræ, ne gustarant quidem unquam;
vicecum cujusq; men-
sis diem, præceptorí suo consecrare, quod hoc ipso
Solis lumen aspexisse primum crederetur. Eundem in
annulis ac poculis, & passim in triclinijs exprimebant,
ne ab oculis eorum unquam procul removeretur, cu-
jus meminisse assiduè volebant. Hæc Prophanī & ef-
fœminati homines, in gratiam voluptatis suæ, ut cre-
debant, auctoris adornabant. Unum Ecclesia Serva-
tori suo dedicavit diem, quo Nativitatem ejus cele-
brare solet; & memoriam æternam ineffabilis mysterij
conservat; hunc tamen diem, pudor est dicere, ex ijs
qui Christianorum nomine superbiunt, alij frigidè,
alij nec celebrare quidem solent. Ita quanta sit hodierni
diei solemnitas, quam sacratissima & admiranda festi-
vitas, vix decimus quisq; in foro satis intelligit aut per-
pendit, aut si adhuc perpendit, non tamen vitâ ex-
primit: dum plurimi festa ita celebranda censem, saltim
ut consuetudini multorum annorum longâ serie ap-
probatae mos geratur; in quarum verò rerum memo-
riam ea instituta sint, cogitationem ne semel instituant:
alij profunditatem rei tantæ potius sollicitè scrutantur
quam humillimè agnoscunt, & rationis decempedā e-
metiri

metiri student, quod à ratione est alienum. Verum si
temrect è nobiscum putare, & alis contemplationis
nos humo levare velimus, non tam vile quid, sat scio,
de festo nostro hoc sentiemus. Est enim revera Me-
moria Incarnationis & Nativitatis Filij Dei solemnitas Dei
Patris; qui filio suo in desponsatione naturæ humanæ
nuptias adornavit; quam *Filius adaugeret* sibi univisse
sua Nativitate ostendit: *Eccē solemnitas nuppiarum Filij*
Dei, ex utero matris semper virginis prodeuntis, lucis
illius quæ ad fugandas illas Cymmerias tenebras, quæ
nos circumstabant, cœlo se demisit: Eccē solemnitas Spir.
S. qui obumbratione sua virginem intactam Deiparam
fecit, benignitatemq; suam singularem hoc ipso opere
declaravit: Eccē solemnitas omnium Angelorum & exerci-
tuum cœlestium: laudantium Deum & nato pueru Jesu
promptissime ministrantium; adeoq; ob salutem ge-
néri humano resurgentem, gaudio elatorum: Eccē solemn-
nitas Mariæ, puellæ non minus post quam ante partum
castissimæ; quæ à Deo Patre in filiam; à Deo filio in ma-
trem; à Deo Sp. S. in sponsam confirmata & renuncia-
ta est publicè. Eccē solemnitas humana naturæ: quæ à λόγῳ,
Dei filio, in unitatem personæ assumpta, in Christo ad
dextram Dei Patris collocata & erecta est. Est deniq;
solemnitas omnium solemnitatum, & omnium à Deo per fi-
liū in nos miseros homunciones, velut ē Copiæ cornu,
collatorum beneficiorum. O beatum diem, cui similem
nulla ætas vidit, nulla iterum videbit! O candidum &
faustum diem; ô pijs omnibus celebrandum; qui Regi,
Redemptori & Sospitatori nostro unico, ortum felici-
bus auspicijs dedit! O exoptatum diem, cuius adven-
tu, qui perierant, sunt restituti; qui à Deo divortium

fecerant, ad Deum revocantur, legis rigor diluitur :
gratia & misericordia per universum genus humanum
diffunditur. Quis ergo non hodie ineffabili volupta-
tis torrente abripiatur ? quis non plenis incedat lœti-
tis ; quis non gratam suam mentem voce sonora, &
opere pio explicabit ? Vos agite, Cives mei Academi-
ci, qui præclararum rerum scientia ab humili plebe vos
segre gastis, qui pulchræ discendi cupiditate animum im-
plevistis, Immanuelis nostri incunabula mecum lustra-
te & tempus illud animo ac cogitatione vobis propo-
nите, quo Salvator noster non tantum se ad hominem,
sed ad primam hominis ætatem demisit, & quæ se hic
mysteria offerunt consideranda, nonnihil advertite.
Deus nascitur in terra : Deus homo nascitur : ita ut nec Deitati
aliquid decadat, quam conservat, nec Humanitati quicquam de-
sit, quam assumit. Hodiè qui sine corpore erat, corpus induit :
qui adspici nou poterat, aspicitur : qui tangi non poterat, tan-
gitur : qui sine tempore erat, esse incipit : filius Dei, filius fit ho-
minis. Ineffabilis majestas Patris dirigit mysterium ; ineffabi-
lis benignitas Filij assumit carnem, ineffabilis spiritus potentia, &
que orbe toto non concluditur, arcto concluditur in utero. Na-
tus hodiè, qui nos creavit ; datus ex divinitate ; natus ex virginem,
natus qui sentiret occasum ; datus qui nesciret exordium. Natus
qui matre esset junior : datus quo nec Pater esset antiquior. Na-
tus qui moreretur ; datus ex quo vita nascetur : atq; sic, qui e-
rat, datus est : qui non erat, natus est. Quid mysterij inquiris
rationem ? Sufficit mysterium. Nam si modum investigas, neq;
finem tum assequaris, & jam amissisti fructum. Cogitate in-
credibilem Filij Dei amorem ! misericordiam immeasam ! gra-
tiam inenarrabilem ! humilitatem insimam ! Quem constituit
hæredem universi Deus, per quem fecit secula Ebr 1. 2. splendor
ejus gloriae, character substantiae. ibid. 3. olim ob potentiam in-
comprehensibilis ; nunc ob humilitatem admirabilis, descendit
ut misericordiam conservet, quicquid per potentiam creavit. O-
lim ineffabilis majestas Dei, τὸ εὐαγγέλιον, τὸ εὐαγγέλιον, τὸ εὐαγ-
γέλιον

immensa, terribilis, horrenda, Deus gloriæ, Deus exercituum, à cuius facie commota est, & contremuit terra, fundamenta montium sunt conturbata. Ps. 18. hodiè id factus est, quod omnes sumus, absq; peccato tamē, quod propriā hominis culpā, & diaboli invidiā contrāctum, veluti lues quādam universam natūram infecit. Deus nasci ex homine voluit, ut ex Deo homines nascerentur. Olim ad imaginem Dei factus est homo, nunc imaginem hominis assumpit Deus. Olim Deus hominem ē glebā terræ formavit; nunc illius causa ipse factus est, quod fecerat, ne quod fecerat, interiret. Quis unquam sic proprios parentes pater; quis fratres frater, quantū Jesus infensissimos suos hostes dilexit. In bellis illis insanis, quantus pudor, quanta ignorāmina est, sī Duce suo ad hostes miles deficit? nam & honestorum confortio eliminatur, & deprensus capitali afficitur supplicio. Verum summus omnium Imperator contra desertus desertorem suum, qui in hostium, diabolorum, castra impia se penetrarat, anxiè requirit, benignissimeq; ad se iterum invitat: quantū spacij inter cœlū & terram est, tantū conficit Christus, ut servaret transfigurā. Admirātur Historiographi, rarissima illa, & nostro hoc seculo, sine exemplo, amicorum cōjunctissimorum paria, Damonem & Pythiam; Theseum & Pirithoum, Patroclum & Achillem & paucos alios, qui arctissimo amicitiæ nexu devincti, pro se invicem pericula subire, imo vitam ipsam profundere non dubitarunt; inter quos tamē mutuus adhuc, & utrinq; æqualis amor extitit, qui uti maximè naturalis est, ita admirationem tantam nondum meretur. Sed quis unquam vel fando accepit exarisse aliquem amore pessimi & nocentissimi hostis sui, tanto quidē, ut pro eo se reum siftere, & supplicium, quod meruerit, patatissimus subire velit. Hujusmodi amor est incarnati Christi; qui nihil non pro humano genere; à quo tamē gravissimè & enormiter offensus ante fuerat, redimendo, nativitatē miseriam, extremam paupertatem, exquisitissimos dolores, & tandem ignominiosissimum crucis supplicium subiit & sustinuit: qui insinu patris & in throno gloriæ sedebat, descendit sine morā: gloriam abiecit, assumpit paupertatem, assumpit miseriam, venit ad nos, venit in nobis; nascitur nocte, nascitur nudus. Nemo hominum accurrit: nemo respicit. Desunt faciæ; conqueriruntur

panni aliquot. Desunt canæ; in præsepi deponitur. Deest locus
& angulus in diversorio; excipitur semirutâ casâ, gelu vento-
rumq; flatibus perviâ. Ita filius Dei; fragili & servili nostra in-
ductus & velatus carne, diabolo insidias struit, ut qui Protopla-
stos nostros sub serpentis astuti forma seduxerat, eadé quasi ar-
te deluderetur. Summa hic sublimitas ac summa vilitas, summa
hic potentia & summa infirmitas, summa majestas ac summa fra-
gilitas. Quid Deo sublimius? quid homine vilius? quid Deo po-
tentius, quid homine infirmius? quid Deo glorioius? quid homine
fragilior? somnium umbræ est homo, foccus stercorum, cibus
vermium. Nihilominus Deus sapientissimus, & potentissimus,
hæc, quæ maximè sibi repugnare & adversis veluti frontibus
invicem concurrere videbantur, mirabiliter copulavit. Omnia
hic supra rationem; nihil supra fidem est. Hæc autem omnia sin-
gulariter mirabilia & mirabiliter singularia, ita hodierno die ge-
facta & peracta sunt, non ut primario honor aliquis, divino & sacro-
sancto Dei nomini, in se ante gloriosissimo & præfato & iussimo, ac-
creseret, non ut Angelis, spiritibus illis purissimis & in boni-
tate sua confirmatis, adeoque nulla redemptio indigentibus
prodeissent: sed ut hominibus a creatore suo deficientibus, & jam
pro delicto ad condignas pœnas trahendis, salus & liberatio pa-
raretur. Peccata enim nostra, qualitate gravissima; numero plu-
rima, æternum meruerant exitium, iamq; sumabant infer-
na flumina nostrorum scelerum ultricia: Jam satanas omnis ge-
neris tormenta in perditos promebat, jam orcus hiantibus fau-
cibus flamas eructabat. Non angelus ullus, non ulla alia crea-
tura, non totus orbis collatis viribus contra tam validum hostem
stare, ejusque nos potestati eximere poterat. Hic Emanuel mis-
eratus ærumnas nostras, nativitate suâ reliquo Redemptionis o-
peri primum substravit lapidem; comparatas in supplicium no-
strum faces extinxit; Sathanæ portas concussum accidit. Venit
Christus ut nos jam prædam factos infernali latroni cœlesti ma-
nu eriperet, & spolia de forti & immani hoc hoste] Patri suo re-
ferret. Summa illius paupertas, & infima demissio; nostræ sunt
ingentes divitiae. In stabulo cribri ad instar pellucidi nascitur, in
duro stramine lectulum sibi sternit, ut nobis cœlestis arcis & pa-
latij valvas, peccatis nostris ceu pessulis fortissimis occlusas, re-
serare

seraret & aperiret. Infans nascitur, ut nobis lingue peccatorum
conscientiam mutet, vincula solveret, ut compellare iterum Patrem
auderemus. Nudus in hanc lucem prodit, ut nobis amissam justitiae
vestem restitueret, & fæditatem flagitorum coram patris sui
vindice oculo absconderet. Sub brumæ tempora nascitur; ubi
terra sub nive & gelu, quasi necata latet; ut mortale genus pec-
cati gelu veluti obrigescens & sepultum, tepentibus Evangelij
auris calefaceret & soveret. Neq; hic jucundissimus Nativitatis
Christi fructus, aliquos saltum ex toto humano genere selectos;
sed omnes omnino, cuiuscunq; sex, Fortunæ aut vitæ conditio-
nis sint, attingit: publica sunt gaudia, toti populo communia,
docente primo natalitiorum beneficiorum prædicatore, quæ o-
mnes admittunt, neminem excludunt. Volumus pauperes? pa-
stores habemus, quibus juxta gregem excubantibus, contemtis
ac ignobilibus, primo tanti gaudia materia nunciatur: volumus
divites & sapientes? Magos habemus recens natum Jesum do-
nis Sabæis honorantes: volumus maritatos? Zachariam & Eli-
sabetham: habemus volumus sacerdotes? iterum Zacha-
riam habes: volumus nuptas? habemus Mariam desponsa-
tam viro: volumus virgines? maxima pars festi virgo est. volu-
mus viduas? adest Hanna Prophetissa. volumus infantes? Chri-
stus ad primam hominis ætatem se detrusit? statæ æratis viros, se-
nites & decrepitos volumus? offert se Josephus & denuo Zacha-
rias. Tam latè cum Incarnationis Filij Dei fructus pateat; o-
mnes nos quoq; ad gratiæ mentis officia, & voce & opere decla-
randa, obstrictos teneri, quilibet videt. Itaq; ut ad id tandem, cu-
jus rei potissimum hæc à nobis instituta est scriptio, deveniamus.
Pubes generosa, Deo & Musis quæ te consecrasti, spemq; futurae
messis lata seges Reipub., contines, pro more & mihi in-
cumbente munere admonenda es, ut quod bonos sua sponte fa-
cturos confido, ea qua par est, pietate & devotione Natal. Dn. nostri
dies, mysterijs admirabiles, partis beneficijs jucundiss; celebretis
& transfigatis. Sumite vobis materiam virtutum, in quib. vos his-
ce dieb. exerceatis, à Christo puerò, illiusq; Nativitatis spectato-
rib. discite à Christo in fante tenello humilitatē, omniumq; dicto-
rum factorumq; vestrorū condimentū esse sinuote & superbos spi-
ritusq; deponite; discite à rudib. pastorib. fidei simplicitatem; ne qui

commu-

communis error est, Deum qua parte lateat, qua ratis, qua vero,
cognosci volait, securè prætereatis. Accipite vobis imitandam
pietatem & castitatem Mariæ; sçpe illa jejunijs sepe lacrymis, sçpe
pià meditatione ante se præparaverat, sepe in animo Deum, an-
tequam in utero, conceperat; nullius sibi conscientia libidinis, casta
corpore, casta animo ipsa refatetur, quod non capit, matrē se esse.
Ita & vos, Cives Acad. hasce ferias natalitias Sob. Pænitentia
sacris concionib. meditationib. & hymnis destinare decet: non
confessionib. helluatonib. aletonib. aut chartarum lusib. insu-
mere; decet vos mentem & membra vestra singula puram & il-
libatam hostiam Deo Redempt. vestro offerre omnibusq; libidi-
num generib. renunciare. Quæ n. hæc foret impietas quæ ingra-
titudo, carcerem squalidum, ex quo recens nati nostri Jesuli au-
xilio exivimusq; repetere, casses diabolicos, è quib. extricati, incur-
rere velle & diaboli malle esse mancipium; quam Christi sponte-
neum ministrum imo fratrem & cohæredem vitæ æternæ. Qui
meliora sapiunt, quorum mentib. mica pietatis residet, templa
diligenter frequenterbunt, ibiq; Servatorem suum fascijs Scriptu-
rarum evolutum, fidei ulnis excipient, & amplexabuntur; & feria
& humili gratiarum actione quantum servatori suo debeant, qui
non tantum moriendo sed etiam nascendo pro nobis passus est
restabuntur: precibusq; hanc Acad. & urbem Deo commendab.
ut eam hostili præsidio, divino plane & mirabili modo liberatam,
stuisq; Dominis hæreditarijs redditā, in tutelam suam porro reci-
pere dignetur, ut ab onere quo jam bene diu præssa fuit, respira-
re ei aliquantum liceat. Secus qui faxint; metuant non tam ma-
gistratus, quam puelli Jesu severissimam vindictam in tanta hu-
militate omnium sublimitate majoris. Jacet quidem in præsepi,
sed cœlestes circa se legatos habet, qui nascenti Genethliacum
decantant: qui jacentem in præsepi cantant, quemadmodum in
gloriâ sedentem cecinerant. Cubat quidem in sceno, sed qui cum
legem traderet, in igne ardebat. Deitatem pueri dissimulat pau-
pertas: sed in cœlo eam stellæ loquuntur. P. P. ipsijs Genethilijs
Emmanuelis nostri Anno 1631.





Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn734602073/phys_0011](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn734602073/phys_0011)

DFG




Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/
rosdok/ppn734602073/phys_0012](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn734602073/phys_0012)

DFG

litia nostra desperdamus & ex-
catis enim fugatur Spiritus Sa-
sordes, nec habitare vult nec per
subditum nequitiae. Cujus enin-
cata repellere & extinguere, ei-
primum est peccata odisse, nec be-
nec commorantur in uno cordo
litia & divina munditia. Haec
stabile hospitium debet, illi ne-
tas repudium, Illi nisi valedi-
dicet tibi: At lo infelices & at
qui tanto oblato & concesso be-
nis omnibus, seipso privaver-
ritus Sanctus cum conferat be-
fit omnia, necesse est ut omni-
eum ejecerit.

Hoc damnum avertite, qui
cer, modis, rejicite carnales
& impura mundi oblectamenta
tum sunt fallacia, quia dubi-
diosa, quia dulcia, & contra pa-
sobrietati pœnitentiae & pre-
insistite, ardenterque rogate San-
Spiritum, ut in cordibus vestri-
gna sibi præparet verbum suu-
lis & toti patriæ nostræ non su-



the scale towards document

Image Engineering Scan Reference Chart TE63 Serial No.

Patch Reference number or UTT

Pec-
i odi-
rpor-
st pec-
n pro-
niunt
ca ma-
pud te
ut mit-
c vale-
iseros,
est bo-
n Spi-
: imo
, qui
ue de-
vanaq;
on tan-
m insi-
ercitijs
genter
i hunc
a se di-
; Scho-
pacem,
nquam